

CHARTA IUDICATI.   
745 aprile, Agrate (Monza).

Copia membr. del sec. XIII, archivio di Stato in Milano.

+ Regnante domno nostro Rachis uiro excellentissimo rege, anno primo, mense aprile, indictione decima; feliciter. Uita et mors in manu Dei, et ideo ego Rottopert uir magnificus \* \* \* de Grate considerans casus umane fragilitatis et repentinam mortem uenturam, preuidi de rebus meis dispositionem facere uel pro anima mea iudicare, ut, cum de hoc seculo uocare iussero, michi pro sua pietate peccatorum meorum ueniam condonare dignetur. Idcirco primo omnium uolo habere ecclesiam beati prodomartiris et leuite Sancti Stephani, sida que est Uicomercado, uites meas petia una in fundo Bonate, quam ego emi, et est ipsa petia iusta Incera: fine clausura Boniti \* \* t fine supradito ipsius Rotoperti, et da sera uia publica percurrente; habente in se plus minus ioge una. ita uolo de peccunia mea quod abeo in finibus Plumbense, ut diebus uite Gallani et Rodelende germane mee atque filias meas Anselda et Galla omnia metietate de usufructuario, de usque ad una de ipsis aduixerit et ipsa auidum religionis secundum Deum in ipso monasterio conseruauerit, earum ibique ipso usufructu, ut supra dixi, metietatem percurat, excepto uel earum consignata per aratoris de heredibus meis; et si, quod non credo, forsidan heredibus meis earum contrariauerit ipsa metietatem de predicto censu diebus uite earum, ipso quod earum contrariare presumpserit, duplum earum restituere debeant; nam post decessum earum in integrum ad heredibus meis reuertatur. idem casa et curte illa quod mihi ex cumparatione aduenit de Ambrosio filio quondam Trotti in uico Gradate, uolo ipsa esse senodochio meo et de omnes res meas, excepto de Curtiniano, quod iam disposita est. nam de aliis rebus meis siue domocoltas atque massariis uel uniuersam meam substantiam, quod habere uedeor uel adhuc mihi in antea Dominus dare iusserit, de omnem frugens, quod de ipsa substantia mea Dominus dare dignatus fuerit, omni in tempore decima ibique a nostra curte percurrat in ellemosinis pauperum uel peregrinorum susceptionem, unde michi a domino nostro Iesu Christo peccatorum meorum ueniam condonetur.

tam de caualus quam et de boues adque menutas animalias, ut supra dixi, de omnia et in omnibus rebus meis ibique ad ipso senodochio in perpetuis temporibus ipsa decima percurrat. et qui ipso senodochio meo preter manus habuerint ad ipsa decima pauperibus distribuenda, uolo ut in suo alimento habere debeat nouellas illas qui dicitur Calabratro in Gradate; qui est ipsa petia: de uno capite et ab alio latere uites ueglas ipsius Rottoperti, et da meridie uis publica percurrente. et amaneclas ad ipsas uites faciendum per omnem anno de meo tollere debeant, et terra arbusta cum limetes de quantum ad germana habere uideor, in ipsius set potestatem usufruendi de ipso senodochio preter manus habuerint. filia mea Gradane uolo, si ipsa cum Dei adiutorio ego ordinauero aut a marito tradedero, in tantum set contenta quod egomet dederero; nam si, quod absit, ipsa post meum obidum in cabelo in casa mea remanserit, uolo ipsa habere casas illas tributarias in integrum quod nobis de conlatore de Ocornaco ex comparatione aduenerunt; et sunt ipsas casas in fondo Trecio; et casa illa quod habeo in Clapiate. et uolo ipsa Gradane filia mea habere in auro figurato solidos trecentos, excepto uestito uel ornamento eius adque frabricato auro; ea uero ratione, ut ipsi trecentis soldis ei in die uotorum eius a presenti dati fiant, et si forsidans

heredes mei a presenti menime ipsis trecenti solidi dare uoluero, et tunc postea uolo ut pro ipsis trecentis solidis habeat ipsa Grada filia mea casa illa tributaria in fondo Rocello que dicitur de Lopetione. et uolo ipsa Gradane filia mea habere mancipias decem, quatuor pueri et sex puellas. et uolo adque adfirmo de argento meo, quod emi de Roderate, baxia una maiore adque scudellas duas et gorale uno, quod emi de Ambrosio clerico, uolo ut si ipso ego in uida mea non dederero, uolo ut in die transitus mei fractam fiat, et ibi ad presenti pauperibus datum pro remetium anime me. et ringa

mea aurea, uolo ut in die transitus mei dit filio meo pro ipsa ringa solidos centum, et a presenti ibique pauperibus dati fiant; et si ipsis centum solidis a presenti dare non uoluerit, ipsa ringa ibique a presenti frangantur et pauperibus distribuuntur. sic tamen uolo adque adfirmo tam predicto argento quam et auro: si Ratruda conius mea me superaduixerit, in eius sit potestatem ipso frangendi et pauperibus pro anima mea et sua distribuendi habeat potestatem ex meam plenexima largitate, tam pro nostra anima quam et pro bone memorie Dondoni germano meo; et uestimento meo, omnia quod in tempore illo reliquero, omnia metietatem pauperibus distribuatur pro suprascripta Ratruda coniuge mea. et ita uolo adque statuo: si iam dicta Ratruda conius mea me superaduixerit et lectum meum monditer post meum decessum caste conseruauerit, uolo ut ipsa

habeat in sua potestate usumfructuarium nomine domocolta mea in Cortiniano cum casa trebutarias, omnia et in omnibus ad ipsa curte pertenente, seo et domoculta in Buriate, insimul cum casas trebutarias ibique pertinente in integrum, ut diebus uite eius in eius sit potestatem fruendi et gouernandi, nam non alienandi licentia auidura, nam de ipso usumfructuario iudicet uel distribuat pro anime nostre remecium cui uoluerit, nam post eius decessum ipsa peccunia ad heredibus meis deueniat in integrum; nam si, quod absit, ad secundas megrauerit nuptias, sufficiat ei lex sua, nam amplius de rebus meis non consequatur. et roco adque suplico principes terre istius secundum Deum, ut si quis de heredibus meis non conseruauerit omnia qualiter superius determinauit, ut districtis ipsis omnia complere faciant, ut exinde ante Deum bona habeat retributionem. Quam uiro dispositiones seo iudicati mei Deusdedit exceptore \* \* et scriuendum dictaui, et manibus meis propriis subter suscriuentium testibusque ad me rogatis obtuli roborandum, stipulatione et sponsione interposita. Acto Gradate.

- + Rotpert uir magnificus in hanc dispositiones iudicati mei a me facto mano mea propria subscripsi.
- + Signum + manus Ambrosio filio quondam Panzioni de Concorezio testis.
- + Signum + manus Gaosoni de Gradate filio quondam Adoni testis.
- + Poto uir magnificus in hanc dispositione iudicati rogatus a Rotperto testis subscripsi.
- + Georgius in hanc dispositiones iudicati rogatus a Rotperto testis subscripsi.
- + Ego Deusdedit uir magnificus in hanc dispositione iudicati rogatus a Rotperto testis subscripsi.
- + Ego Deusdedit scripsi, subscripsi, compleui, dedi.

Composizione della famiglia di Rottopert:

A1. Rottopert = Ratruda

B1. (Figlio maschio non nominato)

B2. Anselda

B3. Galla

B4. Gradane

A2. Dondone

A3. Gallani

A4. Rodelenda